

URBANUS SESTUS

PAPA CCII.

ANNO DOM. MCCCLXXVIII.



Bartholomæus Butillus, Neapolitanus, antea Barenfis Archiepiscopus electus est, & intronizatus Romanus Pontifex die 9. Aprilis 1378. novemque post dies coronatus Urbanus VI. voluit appellari. Sedit in Pontificatu Annos XI. dies VI. ab electionis die computandos imperantibus in Oriente Joanne Palæologo mox Emmanuele II.: in Occidente Carolo IV. deinde Venceslao Regé Romanorum. Obiit Romæ die 15. Octobris 1389. & sepultus est ad S. Petrum. Ab ejus obitu ad electionem Bonifacii IX. fluxerunt dies XVIII.

Schisma XXXIII. in Ecclesia Romana, quod in Concilio Constantiensi extinctum est.

A Cardinalibus tumultuarie, ac per metum Urbanum selegisse asserentibus, Fundosque se receptis die 20. Septembris anni 1378. creatus est alius

Pontifex Clemens scilicet VII. antea Robertus ex Comitibus Gebennensibus Episcopus Cameracensis & S. R. E. Presbyter Cardinalis Tituli SS. XII. Apostolorum. Obiit Avenione die 16. Septembris 1394. & sepultus est in Ecclesia Cathedrali S. Mariæ de Donis. XVI. ab electione sua anno nondum completo.

I.

Jurisdicção Camerarij Sanctæ Romanæ Ecclesiæ summarie quasunque causas interesse Rever. Cameræ Apostolicæ quomodolibet concernentes, cognoscendi.

Ad hanc jurisdictionem vide Bullas quas tibi indicavi sup. in Const. III. Urb. V. Apostolatus pag. 325.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Marino Archiepiscopo Brundusino, Camerario nostro, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ Cameræ, per quam S. R. E. necessitatibus, & incumbentibus oneribus multipliciter subvenitur, sic tenemur indemnitate subvenire, commodisque intendere, & dispendiis obviare, quod ipsius jura debite possint repeti, ejusque officialibus suppetat oportunitas prosequendi.

§. 1. Sane, quia sepe contingit, sicut accepimus, quod extra præstatam Cameræ super rebus, ac juribus ad eam pertinentibus, ac super aliis negotiis ipsam tangentibus litigatur, & sepe coram Judicibus de juribus ipsius Cameræ nullam, vel modicam habentibus rationem, quique per Fiscalem advocatum, seu Procuratorem, aut alios ex officialibus ejusdem Cameræ, qui circa ipsam habent insistere, non possunt commode super iis informari, propter quod causæ nimium protelantur, & quodam modo pereunt jura sua.

§. 2. Nos super iis providere volentes, & gerentes in Domino fiduciam specialem de tuâ circumspectionis industria, cui principaliter est ejusdem Cameræ cura commissa, cognoscendi, auctoritate Apostolica, per te vel alium, seu alios, de omnibus, & singulis questionibus, controversiis, causis, & litibus præsentibus, & futuris, spiritualibus, ecclesiasticis, & temporalibus, civilibus, & criminalibus, nedum ad ipsam Cameram pertinentibus, sicut est hæcenus consuetum, sed etiam de quibuscumque jura, & negotia ipsius Cameræ directe, vel indirecte quoquo modo tangentibus, seu etiam, quæ secundum tuum liberum arbitrium viderentur ea posse tangere quomodolibet in futurum, ipsaque cum

cum emergentibus, & ab eis dependentibus, ac connexis, ac eos quos tangere poterunt, tam personas Ecclesiasticas, quam seculares, necnon Capitula, Collegia, & Conventus Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac Ordinum exemptorum & non exemptorum, Communitatesque & Universitates locorum, prout, & quotiens tibi videbitur, ad te, & ad eandem Cameram advocandi, & citandi per literas, vel nuntium intra, vel extra Curiam, & ad partes etiam, si causæ ipse de natura sui non sint apud Sedem Apostolicam per appellationem, aut alias legitime devolutæ, necnon in ea tractandæ, seu etiam finiendæ, ac etiam si coram Judicibus ordinariis, auditoribus, inquisitoribus, delegatis, subdelegatis, commissariis executoribus, arbitris, arbitratoribus, compromissariis, seu aliis quibuscumque, etiam per Sedem Apostolicam deputatis, vel deputandis in præfata Romana Curia, vel extra ubilibet pendere, nunc & in posterum dicerentur, etiam si in ipsis ad lites contestationem processum fuerit, vel ulterius quantumcumque, & etiam super literis ad nos, seu Sedem eandem per viam appellationis, seu simplicis querelæ, vel alias habitus sit, vel in posterum haberetur recursus, dictas causas reassumendi, & reassumi faciendi.

§. 3. Eaque per te, vel alium, seu alios audiendi, & examinandi summarie, simpliciter, & de plano, & sine strepitu, & figura iudicii, & sine debito terminandi, & alias justitiam omnimodam exhibendi.

§. 4. Judicibus quoque ordinariis, auditoribus, & aliis supradictis inhibendi, ne de causis ipsis post advocacionem hujusmodi cognoscere vel se intromittere quoquomodo præsumant, & quaslibet alias inhibitiones in ipsis causis, ac etiam revocationes, & sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti per eos promulgatarum, relaxationes, & absolutiones, necnon ordinationes, declarationes, mandata, decreta, monitiones, executiones, & processus quoslibet faciendi, & sententias proferendi, ac omnia, alia, & singula faciendi, & exercendi, quæ circa præmissa, vel ea tangentia juxta tuum liberum arbitrium videbuntur opportuna. Contradictores quoslibet, & rebelles cujuscumque status, dignitatis, ordinis, vel conditionis existant, etiam si Regali, Pontificali, vel majori, aut alia quavis præfulgeant dignitate, eadem auctoritate per censuram Ecclesiasticam compefendi.

§. 5. Non obstantibus generalis Concilii, & aliis constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in contrarium editis, necnon consuetudinibus, statutis, ordinibus, seu inhibitionibus quibuscumque iuramentorum, aut excommunicationum suspensionis vel interdicti sententiarum per quoscumque promulgatarum, vel promulgandarum munimine, aut quibusvis aliis firmitatibus roboratis, seu si aliquibus communiter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contigerit, quod extra, vel ultra certâ loca ad iudicium non trahantur, quod interdicti, su-

spendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis, & literis generalibus, vel specialibus Ecclesiis, Monasteriis, locis, Collegiis, Ordinibus, ac Universitatibus, seu personis ecclesiasticis, aut secularibus quibuscumque, cujuscumque fuerint præminentie, vel dignitatis ab Apostolica Sede concessis, vel in posterum concedendis, sub quacumque forma, vel expressione verborum, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri etiam si talia sint de quibus, & ipsarum personarum, & locorum, ordinum, & statuum propriis nominibus specialibus, ac de totis ipsarum tenoribus, plena, & expressa, ac de verbo ad verbum, mentio sit habenda; quæ omnia haberi volumus pro expressis, specialiter, & insertis, & ipsa, vel eorum aliqua contra præmissa volumus in aliquo suffragari, plenam, & liberam tenore præsentium ex certa scientia concedimus facultatem, & ad hoc tui potestatem officii ampliamus, & etiam prorogamus.

§. 6. Eandem fraternitatem tuam exhortantes, ut sic in præmissis te fidelem exhibeas, & etiam studiosum, omnibus justitiam ministrando, quod tam eidem Cameræ, quam aliis quibuscumque sua jura ferventur, tuæque circumspectio inde possit merito commendari.

§. 7. Volumus autem, quod a tempore datæ præsentium in omnibus & singulis suprapreceptis per nos concessis, perinde sit tibi perpetua potestas & jurisdicção attributa, tam quoad negocia præsentia, quam futura, ac si tu ea omnia, & singula exequi judicialiter incepisses, præsentibus, usque ab beneplacitum Apostolicæ Sedis duraturis.

Datum Romæ apud S. Petrum, VI. Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Secundo.

I I.

Maremagnum, seu Privilegium privilegiis conflatum pro Ordine Fratrum Servorum B. Mariæ Virginis.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Andrea Priori Generali, & universis fratribus Servorum S. Mariæ Ordinis S. Augustini, præsentibus & futuris, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Sacrofancta Romana Ecclesia mater cunctorum Christianifidelium, & magistra in agro virtutum vestri Ordinis, cui altissimus Dominus benedixit, & in decore sacre religionis, sub qua eidem Domino ejusque Genitrici devotum exhibetis & sedulum famulatum, exultat, & jubilat: præsertim dum prospicit, quod vos ad alta virtutum gradatim per bonorum operum exercitium, & præclara sanctitatis merita conscendentes trahitis ad divinæ majestatis obsequium

Adhortatio ad hoc officium diligenter exequendum.

Concessione tempore datæ Constitutionis inchoati præcipit.

Dat. die 8. Septembris 1379. An. II.

Procurator.



quum alios, non solum per doctrinae verba, sed etiam per exempla, vitam ducendo purissimam, & verbi praedicationibus insistendo, ac divinae laudis, frequentiaque celebrisque venerationis instantia, ex qua gloria divinae maiestatis attollitur, devotissime persistendo: propter quae nos, & praedicta Ecclesia, vos & vestrum Ordinem praedictum, quem erga nos & eandem Ecclesiam devotione praelucere conspicimus, infra claustra nostri pectoris paternis affectibus amplectentes circa bonum statum vestrum, totis studiis vigilamus, ut Deo propitio a noxiis protegimini, & suscipiatis semper salubria incrementa.

Ordinis huius Fratres quocumque datus & quilibet Ordinarium jurisdictione liberati, & exempti.

§. 1. Volentes igitur praemissorum intuitu, vos ac loca vestra praesentia & futura praerogativa specialis favoris, & gratiae insignire, ac singulari privilegio decorare, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, vos vestraque personas, ac omnia loca vestra tam praesentia quam futura omni jurisdictione, potestate, dominio, visitatione, caritativi subsidii subventionum, & exactio- num quorumlibet praestatione, necnon a synodali, & alterius cuiusvis congregationis evocatione omnium, & singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & quorumlibet aliorum iudicum Ordinariorum, de speciali dono gratiae plenarie eximimus, & totaliter liberamus, vosque, ac personas, & loca ipsa in ius, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apostolicae, & sub eorum, & nostra protectione speciali, & immediate suscipientes, decernimus vos ac personas, & loca praedicta soli & immediate Sedi praedictae subjacere: volentes quod locorum dioecesanum, vel alia quavis persona Vos, vel loca praedicta, utpote prorsus exempta, & dictae Sedi immediate subiecta non possint auctoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, aut alias sententias specialiter, vel generaliter promulgare, vel alias etiam ratione cuiuslibet delicti, seu contractus, aut rei, de qua ageretur ubicumque committitur delictum, in eatur contractus, aut res ipsa consistat potestatem, dominium, aut jurisdictionem aliquam quomodolibet exercere.

Secus acta vel imposterum intentanda, nulla declarantur & irrita.

§. 2. Felicis recordationis Innocentii Papae IV. praedecessoris nostri circa exemptos, quae incipit, Dolentes, & aliis constitutionibus Apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscumque. Nos enim quaslibet excommunicationum, suspensionum, interdicti sententias, & quoscumque processus, quasvis penas, & sententias generales, vel speciales continentes, quas seu quos contra vos seu aliquem vestrum, vel praedicta loca contra nos, & formam praesentium, quomodolibet promulgari, vel haberi contigerit, irritas decernimus, & inanes.

Clausula.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, suspensionis, & constitutionis infringere &c.

Dat. die 7. Aprilis 1380. An. II.

Datum Romae apud S. Petrum VII. Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

I I I.  
Confederationes cum Haereticis quacumque firmitate roboratae, nullae & irritae declarantur.

xx Collectio- ne Altorum Rimer.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam.

Inter sollicitudines varias, quibus assidue premimur, illa potissime pulsata, & excitat mentem nostram, ut circa salutem animarum Christianissimorum sollicitis studiis intendamus, & ne fideles ipsi ex confortio, & participatione Schismaticorum, seu Haereticorum labefactari valeant, adhibeamus remedia opportuna.

Exordium.

§. 1. Sane ad nostrum nuper pervenit auditum, quod tam carissimus in Christo filius noster Venceslaus Romanorum, & Bohemiae Rex illustris, quam etiam clare memoriae Carolus Romanorum Imperator & ipsius Regis genitor, simul, vel successively nonnullas confederationes, vel colligationes, seu ligas, & Conventions cum diversis Regibus, Principibus, ducibus, Comitibus, ac Magnatibus, nobilibus, & certis aliis, inierunt, seu fecerunt, & quod aliqui ex huiusmodi Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Magnatibus, seu Nobilibus, aut aliis, tunc erant, seu postea sunt effecti Schismatici, seu Haeretici manifesti & ab unitate Sanctae Romanae, & universalis Ecclesiae separati, quamvis per nos alias declarati non sint.

Venceslaus & Carolus Reges Romanorum federata nonnulla cum haereticis & Schismaticis iussu asserit.

§. 2. Nos igitur attendentes, quod huiusmodi confederationes, & ligae, seu conventiones, factae cum huiusmodi Haereticis, aut Schismaticis, postquam tales effecti erant, sunt temerariae, illicitae, & ipso iure nullae, et si forte ante ipsorum lapsum in Schisma, seu Haeresim inita, seu factae fuissent etiam si forent juramento, vel fide data firmatae, aut confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratae, postquam tales, ut praemittitur, sunt effecti, eo ipso tam idem Rex, quam alii qui forsitan una cum eo huiusmodi confederationes, colligationes, & ligas, seu conventiones cum talibus inierunt, seu fecerunt, & ad quos huiusmodi confederationes, colligationes, ligae, seu conventiones quomodolibet extendi possunt, & quorum interest, vel interesse poterit ab earum observatione absoluti existunt, illasque ipsis servare non debent. Quinimo ipse Rex huiusmodi Schismaticos, & Haereticos ratione Imperii, ad quod electus, & per nos approbatus in favorem Sanctae Romanae, & Universalis Ecclesiae, cuius est Advocatus, pro posse prosequi tenetur, quodque omnis communio cum talibus Haereticis, seu Schismaticis nimis periculosa existit, cum nulla sit proventus, nec esse debeat participatio lucis ad tenebras, vel Christi ad Belial: Et cupiente super his animarum salutis, & honoris, ac statuti eiusdem Regis, & aliorum quorum inter est, ut praesertim salubriter providere, & periculis, & scandalis, quae ipsis exinde provenire possent utiliter praecavere, eundem Regem, & omnes illos, quorum interest, & interesse poterit Apostolica auctoritate tenore praesentium

Huiusmodi federa nulla declarat, ab eisque solvit Venceslaus.

sentium declaramus fuisse & esse ab eandem confederationum, colligationum ligarum, & conventionum observatione penitus absolutas, & ad earum observationem aliquatenus non teneri, illasque quatenus de facto processerunt, cassamus, irritamus & nullas esse decernimus firmitatis. Et insuper cupientes animarum periculis obviare tam eidem Regi, quam etiam omnibus huiusmodi aliis, quorum interest, seu interesse potest, tenore praesentium districtius inhibemus, ne confederationes, colligationes, ligas, aut conventiones huiusmodi aliquatenus observent, seu ab illis observari quomodolibet permittant. Decernentes, ex nunc irritum, & inane quicquid in contrarium a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Ex observati- vetat omni- no;

Clausula.

Dat. die 30. Martii 1382. An. IV.

Ex Regest. in Archiv. Vatic.

Premium.

Ludovici Regis hac super se petizio.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, cassationis, irritationis, inhibitionis, vel constitutionis infringere &c.

Datum Romae apud Sanctum Petrum tertio Kalendas Aprilis Pontificatus nostri Anno Quarto.

I V.

Erectio Studii Generalis in Civitate Quinquecelesensi, Regni Hungariae cum privilegiis pro Doctoribus, & Scholaribus reservata Ludovico Regi praesentandi facultate.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei, Ad perpetuam Rei Memoriam.

In suprema dignitate Apostolicae specula licet immeriti disponente Domino constituti ad universas fidelium regiones, eorum profectus & commoda tanquam universalis gregis dominici Pastor commissis nobis speculationis aciem, quanto nobis ex alto permittitur, extendentes, fidelibus ipsis ad quaerenda literarum studia, per quae divini nominis, & fidei Catholicae cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnique prosperitas humane conditionis augetur; libenter favores gratiosos impendimus, & oportune commoditatis auxilia liberaliter impartimur.

§. 1. Cum itaque, sicut nuper pro parte Carissimi in Christo Filii nostri Ludovici Regis Hungariae illustris fuit propositum in Consistorio coram nobis, ipse Rex non solum ad utilitatem, & prosperitatem huius rei publice, & incolarum Regni sui Vngariae, sed etiam aliarum partium vicinarum laudabiliter intendens, in Civitate Quinquecelesensi, in Regno praedicto consistente, tanquam insigniori & magis ad hoc accommodata, & idonea, plurimum desideret fieri, & ordinari per Sedem Apostolicam Studium generale in qualibet licita facultate, ut ibidem fides ipsa dilatetur, erudiantur simplices, equitas fervetur iudicii, existat ratio, & intellectus hominis augeatur.

§. 2. Nos praemissa, ac etiam eximiam fidei puritatem, quam tam ipse Rex & Progenitores sui quam Vngariae Regni Incole ad Sanctam Romanam Ecclesiam gessisse, prout ipse Rex, & Incole gerere dignoscuntur atten-

te considerantes, ferventi desiderio ducimur, quod Regnum ipsum scientiarum numeribus amplietur, fiatque literarum feracitate fecundum, ut Viros producat consilii maturitate conspicuos, virtutum splendore ornatos, ac diversarum facultatum dogmatibus eruditos: sitque illis scientiarum fons originis, de cuius plenitudine hauriant universi literarum cupientes imbui documentis.

Civitas Quinquecelesensis illis literarum accommodata.

§. 3. His igitur omnibus, & praesertim idoneitate dictae Civitatis, quae ad multiplicanda doctrinae semina, ac germina salutaria producenda magis accommodata, & idonea inter alias Civitates dicti Regni fore dicitur, diligenti examinatione pensantes, non solum ad ipsius Regni, & Civitatis, sed etiam Regnorum circumjacentium incolarum commodum, & profectum paternis affectibus anelantes, dicti Regis in hac parte supplicationibus inclinati, de fratrum nostrorum consilio statuimus ac etiam ordinamus, ut in dicta Civitate Quinquecelesensi de caetero sit Studium generale, ibique perpetuis temporibus vigeat tam in Juris Canonici, & Civilis, quam alia qualibet licita, praeterquam in Theologica facultate, & quod legentes, & studentes ibidem omnibus Privilegiis, libertatibus, & immunitatibus concessis doctoribus legentibus, & studentibus commorantibus in studio generali gaudeant, & utantur.

Universitas in ea erigitur: quae nuncitur Privilegiis.

§. 4. Quodque illi, qui processu temporis bravium fuerint in illa facultate, in qua studuerint, assecuti, sibi que docendi Licentiam, ut alias erudire valeant, ac Doctoratus seu Magisterii honorem petierint, elargiri per Doctores seu Doctorem ac magistros, seu Magistrum illius facultatis, in qua examinatio fuerit faciendae, Episcopo Quinquecelesensi, qui pro tempore fuerit, vel Ecclesia Quinquecelesensi. Pastore carente, Vicario seu officiali dilectorum filiorum Capituli ipsius Ecclesiae praesententur. Idem quoque Episcopus, aut Vicarius seu Officialis Doctoribus, & Magistris in eadem facultate actu inibi regentibus convocatis illos in iis, quae circa promovendos ad Doctoratus seu Magisterii honorem requiruntur, per se vel per alium iuxta modum, & consuetudinem, qui super talibus in generalibus studiis observantur, examinare studeant diligenter: eisque si ad hoc sufficientes, & idonei reperi fuerint, huiusmodi licentiam tribuat, & Doctoratus seu Magisterii conferat honorem.

De Laureandis.

§. 5. Illi vero qui in eodem studio dictae Civitatis examinati, & approbati fuerint, ac docendi licentiam, & honorem huiusmodi obtinuerint, ut est dictum, ex tunc absque examinatione, & approbatione alia regendi, & docendi tam in Civitate praedicta, quam singulis aliis generalibus studiis, in quibus voluerint regere, docere, statuti, & consuetudinibus quibuscumque contrariis, Apostolica vel quacumque alia firmitate valla- tis nequaquam obstantibus, plenam, & liberam habeant facultatem.

Facultate laureatorum.

§. 6. Volumus autem, quod Magistris & Do-



Doctoribus, qui in hujusmodi legent studio, per Regem Vngariae pro tempore existentem incompetentibus stipendiis provideatur; alioquin praesentes literae nullius sint roboris vel momenti.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum Constitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere &c.

Clausula:

Datum Viterbii Kalendis Septembris Pontificatus nostri anno Quinto.

V. Lateranensis Ecclesiae oblationes in alios quam fabricae ejusdem Basilicae usus converti prohibet.

Ex Regest. eodem

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

Constitutio de qua in rubrica.

§. 1. Clerici reparationi venerandae Lateranensis Ecclesiae pro dolor in sui magna parte destructae opportuno providere remedio, ac pia intentioni fidelium pro ipsa reparatione largientium bona sua satisfacere, ac praesumptionem quarundam personarum ejusdem Ecclesiae, ad ea, quae ad ipsos non pertinent, manus temerarias extendentes, reprimere cupientes, universis, & singulis tam dictae Ecclesiae Capitulo singularibusque personis, quam aliis quibuscunque tenore praesentium auctoritate apostolica districtius inhibemus, ne pias oblationes, seu elemosinas eorumdem fidelium, quae factae sunt, seu fient pro tempore pro fabrica in Ecclesia memorata praescripta, sicut sepe haecenus praesumpserunt dicuntur, recipere, aut in aliud opus, quam in reparationem, seu fabricam Ecclesiae memoratae & suorum circumstantium locorum convertere praesumant absque nostra vel successorum nostrorum Romanorum Pontificum licentia speciali.

Poenae contra inobedientes.

§. 2. Quod si quisquam secus attemptare praesumpserit, non solum id, quod de iis receperit, reddere, sed tantundem de suis bonis propriis pro dicta exhibere fabrica teneatur.

Clausula.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis, & constitutionis infringere &c.

Dat. die 8. Julii 1384. An. VI.

Datum apud Montem Flascionem Octavo Idus Julii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

V I.

Ex Regest. eodem.

Quod fratres Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani unum tantummodo in eorum Ordine Beneficium acquirere possint decernit.

Ambitio in Ecclesiasticis execrabile vitium.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Ambitionis execrabile vitium in cunctis Personis Ecclesiasticis, quae non quae sua sunt, sed quae Christi desiderare debent, & querere, merito detestantes, illud in Personis Religiosis tanto amplius execramur, quantum ipsi secundum suae professionis de-

bitum plus esse debent ab eodem vitio alieni.

§. 1. Cum itaque sicut ex fide dignorum relatione didicimus, nonnulli Fratres Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, singuli videlicet ipsorum, plures Prioratus, Capellaniae, Praeceptorias, seu Domos ejusdem hospitalis, quique etiam minus digni, etiam in diversis & remotis partibus obtinere nescantur, nonnulli ex Fratribus Hospitalis ejusdem etiam benemeritis nullum seu nullam ex Prioratibus, Praeceptorias, seu Domibus hujusmodi obtinentibus seu valentibus obtinere: ex quo cum alius minus abundet, alius vero indigeat; sepe inter Fratres eodem insurgit murmur, & dissolvitur vinculum charitatis: idemque Prioratus, Capellaniae, Praeceptoriae, seu domus, dum Gubernatores seu Administratores intenti sunt pluribus, nimis utiliter gubernantur, minoratur ejusdem Hospitalis militia, & hospitalitas attenuatur: ex iis quoque continentur memorati hospitalis religio, & in animas fidelium scandalum generatur.

Causae edendae hujus Constitutionis.

§. 2. Nos igitur, qui pluralitatem hujusmodi praesertim in personis regularibus nimium detestamur, pluralitatem ipsam moderari & eisdem Fratribus benemeritis, & indigentibus providere volentes, omnes, & singulos Fratres hospitalis jam dicti plures Prioratus, Capellaniae, Praeceptorias, seu Domos hospitalis praefati seu alterum cum altero, seu altera obtinentes, gubernantes, & administrantes, eis omnibus uno seu una ex eis excepto vel excepta, quem, vel quam, infra octo menses a data praesentium, quas faciemus in Romana Curia publicari, computandos, eligere omnino dimissis reliquis teneantur, auctoritate Apostolica tenore praesentium privamus: eis in virtute sanctae obedientiae praecipientes districte, quod de ipsis Prioratibus, Capellaniis, Praeceptorias, seu Domibus dimissis, seu quos, & quas dimittere debent, ut praesertim, se de cetero nullatenus intromittant.

Prohibet Fratribus plures Prioratus &c. in ordine obtinere.

§. 3. Quod si forsitan quod absit, aliqui ex eisdem Fratribus, qui pluralitatem hujusmodi obtinent, ut praesertim, praecipuum nostrum hujusmodi continententes, illos, seu illas, quos, seu quas ultra unum, vel unam ex Prioratibus, Capellaniis, Praeceptorias, seu Domibus praedictis obtinent, dimittere, ut praesertim, recusaverint, aut eorum, sive earum administrationi se ingererint quoquomodo, Nos omnes hujusmodi recusantes, & ingerentes ex tunc omnibus Prioratibus, Capellaniis, Praeceptorias, & Domibus, quos & quas singuli singulas licite retinere possent, volumus eo ipso esse privatos, & inhabiles ad quamcumque administrationem cujuscumque Prioratus, Capellaniae, Praeceptoriae, seu Domus praedicti hospitalis de cetero obtinentorum.

Poenae inobedientiam.

§. 4. Ceterum de probitate, & circumspectione dilecti Filii Magistri hospitalis praedicti gerentes in Domino fiduciam plenioribus sibi omnes, & singulos Prioratus, Capellaniae, Praeceptorias, seu Domos hujusmodi, quos seu quas tam per dimissionem, quam-

Praeceptorias facultatem dat de Praeceptorias, &c. et quibus Beneficiis providere.

per privationem hujusmodi vacare continget singulos, seu singulas videlicet eorum seu eorum singulis ex dictis Fratribus ejusdem hospitalis idoneis, quos secundum Deum, & utilitatem dicti Hospitalis reputaverit meliores, super quo conscientiam suam omeramus, hac vice conferendi, illisque de ipsis providendi secundum consuetudinem dicti hospitalis in collatione, seu provisione hujusmodi Prioratum, Capellaniarum, Praeceptoriarum, seu Domorum alias solitam gubernari plenam concedimus tenore praesentium facultatem.

Clausula in riantes.

Dat. die 15. Septembris 1383. An. VI.

§. 5. Decernentes ex nunc irritum, & inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum privationis precepti, voluntatis, concessionis, & constitutionis infringere &c.

Datum apud Montem Flascionem decimo septimo Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno Sexto.

V I I.

Contra Officiales Laicos, quoquo modo personas Ecclesiasticas bannientes, relegantes, aut proscribentes.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

Causae edendae Constitutionis.

Quia, sicut displicenter accepimus, nonnulli diversarum partium Principes, Marchiones, Duces, Comites, Barones, & alii nobiles, necnon potestates, capitanei, bajulivi, scabini, advocati, rectores, iudices, & consules, alique officiales, & consilarii civitatum, oppidorum, terrarum, castrorum, & aliorum locorum, alique laici, & laicales personae, dominium, seu jurisdictionem in temporalibus obtinentes, necnon ipsarum civitatum communia, & oppidorum, castrorum, terrarum, & aliorum locorum universitates, non attendentes, quod laicis in clericos, & personas Ecclesiasticas, & illorum bona, nulla sit attributa potestas, nihilominus Ministros Ecclesiae, etiam interdum in dignitatibus constitutos, temeritate propria bannire, seu relegare, aut proscribere non verentur.

Ista anathematis poena caret, ut Officiales quicumque Laici Ecclesiasticos banniant, ac quovis modo proscribant.

§. 1. Nos adversus temeritatem hujusmodi remedium apponere cupientes, omnes & singulos talia praesumentes, & ea fieri mandantes, seu eorum nomine, vel mandato facta, rata habentes, vel in eis faciendis dantes auxilium, consilium, vel favorem, si singulares personae fuerint, cujuscumque praesentiae, dignitatis, status, vel conditionis existant, earum videlicet singulas; si vero communitates vel universitates extiterint, omnes & singulos earum communitatum, & universitatum potestates, capitaneos, bajulivos, scabinos, advocatos, rectores, iudices, consules, & officiales, quocumque nomine censeantur, ac consilarios, & privatas personas, quae hujusmodi sacrilegii principales pattores existerent, excommunicationis sententias incurrere, necnon

Ball. Rom. Tom. III. Pars II.

quamlibet earundem communitatum, seu universitatum, ac illa ipsorum Principum, Marchionum, Ducum, Comitum, Baronum, Nobilium, & aliorum quorumcumque laicorum, & laicalium personarum, talia praesumentium, in quibus talia fierent, civitates, terras, oppida, castra, & alia loca, Ecclesiastico interdictione subjacere volumus ipso facto.

Obstantibus derogat.

§. 2. Nullusque ab eisdem sententiis per alium, quam per Romanum Pontificem, praeterquam in mortis articulo, possit absolvi, nec interdictum hujusmodi per alium etiam relaxari. Non obstante si aliquibus communitate, vel divisa a Sede Apostolica sit indultum, quod excommunicari, suspendi, vel interdicti non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi, & eorum propriis nominibus mentionem, & quibuslibet constitutionibus, privilegiis, & literis Apostolicis contrariis, de quibus etiam plena, & expressa in nostris fieri oporteat mentionem.

Et hinc Constitutionis robor adhibere non debent.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis, & concessionis infringere &c.

Dat. die 10. Decembris 1383. An. VI.

Datum Romae apud S. Petrum, quarto Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

V I I I.

Reprobatio Pignorum, seu Sportularum occasione Litigiorum Judicibus Ecclesiasticis quovis modo exhibendorum.

Ex Regest. in Archiv. Vatis.

Urbanus Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

Quamvis ab omni specie mali sit per quoslibet abstinendum, Personas tamen Ecclesiasticas tanto ab illa diligentius abstinere convenit, quanto in eis cuncta vitia magis reprehensibilia iudicantur.

In ecclesiasticis quovis sit reprehensibilis ipsa mali species.

§. 1. Cum itaque sicut ad Apostolatus nostri pervenit auditum, in nonnullis diversarum Partium ordinariis Ecclesiasticis Curias de quadam consuetudine, quae dicenda est potius corruptela, partes in ipsis Curias litigantes, sive litigare volentes seu earum altera, de decima, seu vigesima, aut alia parte litis secundum diversitatem locorum pignora, seu sportulas, alias Pignus Bandi nuncupata, dare, seu deponere compellantur, quae postea in finalem litis eventum Domini, seu Officiales ipsarum Curiarum de ipsa consuetudine sibi retinent, & appropriant pro ipsorum libito voluntatis.

Sportulas Judicibus ecclesiasticis dari vetat.

§. 2. Nos hujusmodi corruptelam, seu consuetudinem Canonibus, & bonis moribus inimicam auctoritate Apostolica reprobantes, praesentium tenore districtius inhibemus praecipiendo mandantes universis, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis Electis, & aliis quibuscumque locorum ordinariis, & Personis Ecclesiasticis, jurisdictionem spirituales, vel temporales obtinentibus, ne de cetero pignora, seu sportulas, aut res alias, quocumque nomine censeantur

A a a oc.



occasione prædicta, aut alio quovis modo, vel colore petere, exigere, vel fieri, seu dari facere, seu mandare quomodo præsumant.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum inhibitionis, & constitutionis infringere, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, quarto Idus Decembris Pontificatus nostri anno Sexto.

IX.

Approbatio, & ratificatio Ordinis Fratrum Sancti Pauli Primi Eremitæ in Ungariæ Partibus a Joanne PP. XXII. instituti.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Apostolicæ servitutis Nobis injunctæ desuper Officium mentem nostram excitat, & inducit, ut circa ea, quæ statui prospero personarum sub Religionis habitu studio vacantium pia vite ad perseverantiam Divini servitii opportuna prospicimus, operosis studiis intendamus.

§. 1. Olim siquidem felicis recordationis Joannes Papa XXII. Prædecessor noster dilectis Filiis Priori Generali, & Fratribus S. Pauli Primi Eremitæ in Ungaria, & aliis mundi partibus constitutis Ordinis Sancti Augustini Regulam ejusdem Sancti Augustini per eos & successores ipsorum in locis suis, quæ habebant, & præstante Domino haberent imposterum, perpetuis futuris temporibus observandam auctoritate Apostolica, concessit ac nonnulla alia indulisit Priori, & Fratribus prædictis; Nosque postmodum hujusmodi privilegium dicti Joannis Prædecessoris duximus innovandum.

§. 2. Cum autem sicut exhibita Nobis pro parte dictorum Prioris, & Fratrum petitio continebat, quidam curiosi, ac simplices se de ipsis, quæ non multum expediunt, intromittere volentes, ipsis Priori, & Fratribus & eorum Ordini, pro eo quod in prædicto Privilegio verbum confirmationis, seu approbationis non exprimitur, sed eis dumtaxat dicta Regula conceditur palam, & occulte detrahant, & de ipsis obloquantur, pro parte ipsorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super præmissis de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui de ipsorum Prioris, & Fratrum vita, & institutis sumus plenarie informati, eis in præmissis providere volentes consideratione etiam carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Ungariæ illustri ipsorum Regis, ac Prioris, & Fratrum in hac parte supplicationibus inclinati prædictum ordinem dictorum Prioris, & Fratrum sub dicta Regula, & habitu, quem gestant auctoritate Apostolica tenore præsentium ratificamus, & etiam approbamus.

§. 3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrarum ratificationis, & approbationis infringere &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum secundo Idus Martii, Pontificatus nostri Anno Sexto.

X.

Fratribus Ordinis Servorum Sanctæ Mariæ nullam antehac in Urbe Domum habentibus Ecclesia Sancti Marcelli conceditur.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei Venerabili Fratri Jacobo Episcopo Aretino, Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Apostolicæ servitutis officium desuper Nobis injunctæ mentem nostram ad ea incitat & inducit, quæ pro statu personarum sub Religionis habitu studio vacantium pia vite salubriter ampliando opportuna, conspicimus: illaque favore prosequimur opportuno.

§. 1. Sane nuper dilectus filius noster Andruinus Tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis Nobis exposuit, quod Ecclesia S. Marcelli de Urbe, quæ Titulus sui Cardinalatus existit, magnam habet curam animarum, & quod in ipsa Ecclesia, licet octo Canonicos habeat, quorum unus dumtaxat inibi residet, modicus vel quasi nullus servatur cultus Divinus, ac iidem Canonici ad divinum Officium sufficientes, aut dispositi non existant: dictaque Ecclesia in suis ædificiis nimium est collapsa, ac etiam ruinosa; quodque idem Cardinalis prædictam Ecclesiam, ad Religiosos transferri, & in ea tot Fratres Servorum Sanctæ Mariæ Ordinis Sancti Augustini, qui in dicta Urbe nullum locum habent, & quorum unus sit Prior, qui curam aliorum Fratrum, & Parochianorum dictæ Ecclesiæ habeat, creari, & institui, quot poterunt ex ipsius Ecclesiæ fructibus congrue sustentari, desiderat, & affectat.

§. 2. Quare pro parte dicti Cardinalis Nobis fuit humiliter supplicatum, & cum Prior generalis dictorum Fratrum in dicta Urbe sit præfens, & ad reparationem dictæ Ecclesiæ paratum se offerat, atque promptum, pluresque Parochiales Ecclesiæ de dicta Urbe per Religiosos sint solite gubernari, dictam Ecclesiam ad hujusmodi Religiosos transferri, & ibidem fratres creari, & institui prædictos, ita quod cedentibus, vel decedentibus dictis octo Canonicis, ac aliis Presbyteris, & Clericis perpetuis beneficiatis in eadem Ecclesia, vel suos Canonicatus, Præbendas, ac Officia quomodolibet dimittentibus fructus, redditus, & proventus hujusmodi Canonicatum, Præbendarum, ac Beneficiorum, necnon possessiones, & bona quæcumque ad dictos Canonicos, & perpetuos Beneficiatos ratione suorum Canonicatum, Præbendarum, ac Beneficiorum hujusmodi pertinentia prædictis Fratribus, & eorum ordini applicentur de benignitate Apostolica mandaremus.

§. 3. Nos itaque hujusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tuæ per apostolica scri-

Clausula.

Dat. die 10. Decembris 1383. An. VI.

Ex Regest. eodem.

Procurator.

Fratribus hiis a Jo. XXII. tradita Regula S. Augustini.

His confirmatur ab Urbano.

Clausula.

Dat. die 14. Martii 1384. An. VI.

Ex Regest. eodem.

Exordium.

Causa Canonici.

Ecclesia S. Marcelli in qua Canonici debebant Fratribus S. B.M. conceditur.

scripta mandamus, quatenus dictam Ecclesiam auctoritate Apostolica ad hujusmodi Religiosos transferas, & ibidem tot ex hujusmodi Fratribus Servorum Sanctæ Mariæ, quorum unus sit Prior, & curam animarum aliorum fratrum, & Parochianorum dictæ Ecclesiæ habeat, & ipsis Parochianis ministraret Ecclesiastica Sacramenta, ibidem institutas, quot ex fructibus prædictis poterunt congrue sustentari: ac statuas auctoritate prædicta & ordines, quod cedentibus, vel decedentibus Canonicis, & Beneficiatis prædictis vel suos Canonicatus, & Præbendas, ac Beneficia prædicta quomodolibet dimittentibus fructus, redditus, & proventus, ac possessiones, & bona præfata ad Canonicos, & Beneficiatos prædictos ratione Canonicatum, & Præbendarum ac Beneficiorum hujusmodi pertinentia, ut præfertur, etiam ipsi Canonici, & Præbendæ, ac Beneficia sint dispositioni apostolicæ quomodolibet reservata, eisdem fratribus, & eorum ordini applicentur eo ipso. Ac nihilominus eisdem Priori, & Fratribus, postquam in dicta Ecclesia creati & instituti fuerint, etiam locandi, & arrendandi fructus, redditus, & proventus jura, & obventiones Canonicatum, & Præbendarum, ac Beneficiorum prædictorum a Canonici, & Beneficiatis prædictis illa obtinentibus, quandiu ipsi Canonici ea obtulerint, pro certo pretio ejusdem Canonici, & Beneficiatis annuatim persolvendo: ita quod si dictis Canonici, & Beneficiatis fatiatis, ipsi ad hujusmodi Canonicatus, & Præbendas ac Beneficia redire non valeant, auctoritate prædicta licentiam largiaris: contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

§. 4. Non obstantibus quibuscumque constitutionibus Privilegiis, ac Literis Apostolicis, necnon statutis, & consuetudinibus Ecclesiæ, & Ordinis prædictorum contrariis juramento, confirmatione Apostolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui Apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem Ecclesia in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de hujusmodi Canonicatibus, & Præbendis ipsius Ecclesiæ speciales vel aliis beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales Apostolicæ Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarint: etiam si per eas ad inhibitionem reservationem, & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas literas, & Processus habitos per easdem, & quæcumque inde sequuta ad hujusmodi Canonicatus, & Præbendas, ac alia Beneficia ipsius Ecclesiæ volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad affectionem Canonicatum Præbendarum, ac aliorum Beneficiorum præjudicium generali, seu quibuscumque Privilegiis, indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus quoruncumque tenorum, existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quoruncumque totis tenoribus de Bull. Rom. Tom. III. Pars II.

Data exequendi facultas Jacobo Episcopo Aretino.

Obstantium derogatio.

verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis.

§. 5. Nos enim dicto Cardinali, & suis successoribus prædictum titulum obtenturis in dicta Ecclesia ac ipso Priori, & Fratribus dum inibi fuerint, necnon Parochianis dictæ Ecclesiæ omnem jurisdictionem correctionem, ac Justitiam reservamus, quam in Canonicis, & Beneficiatis, ac Parochianis dictæ Ecclesiæ ipsius Cardinalis prædecessores dictam Ecclesiam obtinentes habuerunt, & idem Cardinalis habere noscitur de præfenti. Et insuper ex nunc irritum decernimus, & inane si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum septimo Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Septimo.

XI.

Sanctorum Petri, & Pauli Apostolorum Icones argenteas deauratas, Gemmicque pretiosis elegantissime elaboratas quarum altera scilicet Beati Petri de Ligno Crucis Domini Nostri Jesu Christi particulam in vertice retinet, & in quibus SS. Apostolorum eorumdem Capita sunt recondita, aliasque nonnullorum SS. Reliquias decenter ornatas in Sacrosancta Lateranensis Ecclesia aservatas auferentes, diripientes, seu alias quomodolibet deprestantes Excommunicationis vinculo innodantur, perpetuæque infamiae poena plectuntur.

Urbanus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Sacrilegorum damnanda præsumptio eo est gravior, & durius castigari meretur, quo in locis venerabilioribus rebusque facrioribus fuerit perpetrata.

§. 1. Cum itaque Nos ad reverentiam Dei & Beatissimorum Apostolorum suorum Petri & Pauli duas eorumdem Apostolorum Imagines Argenteas deauratas ac Margaritis, & lapidibus pretiosis ornatas ponderis Milleducentarum Marcharum Argenti, super quarum alteram videlicet verticem Beati Petri est una Crux aurea parva Gemmis pretiosis ornata, in qua est de Ligno Crucis Domini Nostri Jesu Christi, decore sumptuosoque opere fecerimus fabricari, ac in Ecclesia Lateranensi supra Altare majus venerabiliter collocari: in eisque Sacratissima Capita dictorum Apostolorum & alias Reliquias Sanctorum ibidem ad majorem venerationem ipsorum Apostolorum, & devotionem fidelium recondi, perpetuis temporibus permanitura; Dignum est, & ad cautelam reputamus expediens, quod ut ipsa Crux, Capita, Reliquiæ, & Imagines duæ, capite parvæ argenteæ, in quibus præfata Sacratissima Capita olim in Ecclesia Sancti Laurentii ad Sancta Sanctorum prope ipsam Lateranensem Ecclesiam consistente retro-

Alieno juri cautum.

Dat. die 7. Novembris 1384. An. VII.

Ex Regest.

Exordium.

He reliquie unde sumptus. Eas, eorumque ornamenta auferentes quibus subje- ti penis.